

SALUTATIO

.....*Ille potens sui*
laetusque deget cui licet in diem
dixisse: uixi:.....

(Hor. Odes, III, 29, 41-3)

Verum “monumentum aere perennius” magistro dicatum certe ex iis omnibus studiis exstruitur quae ipse magister discipulis suis diu tradidit, uias eis aperiens ut omnia de homine, de uita, de historia, de se discere possent. Sunt in unoquoque nostrum quaedam memoriae, rationes cogitandi, sententiae, assensus et dissensus omnium magistrorum qui docere nos cogitare et esse sibi proposuerunt.

Cum nobis senescentibus fere omnia deficient praeter experientiam uitae et sapientiam; cum hodie idonei simus ad ueritates quasdam deprehendendas in omnibus innumerabilibusque doctrinis mente humana conceptis in ordine temporum, etiam in ipsis philosophiis quae despiciendae iam pridem uisae sunt; cum aetate prouecta certiores facti simus res esse res, non ea sola quae e rebus abstracta sint, tum nobis uix manet laetitia toà “uixi” et “uiuo”, quod in uita hominis non paruum lucrum est.

Ad bene aliquem cognoscendum, ut est in ueterrimo prouerbio, multi modii salis una cum illo edendi sunt, id est, oportet eius in sodalitate diutissime uiuimus. Magister Mendonça et ego collegae sumus et concordēs circa sexaginta annos, quod tempus ad nos inuicem satis cognoscendos suppeditat ita ut et fidem mutuo habeamus et summa reuerentia aduersus diuersitates teneamur.

Ex immo corde ei gratulor de celebratione hac quam merito ac iure collegae, amici et discipuli eximio magistro praestant.

Ad multos annos uiuat et ualeat!

Prof. Dr. Ariovaldo Augusto PETERLINI (DLCV – FFLCH – USP)